ASTESANUS DE AST

Saalfelden/Salzburg, 1471-1472 Seite 75r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Expedita quarta parte huius Summe que est de sacramentis in genere et de tribus primis sacramentis scilicet Confirmacione Eukaristia et baptismo Sequitur quinta pars que est de sacramento penitencie. Primo autem dicendum de sacramento penitencie ita quod primo de virtute penitencie. 2° de Sacramento penitencie.

Circa primum primo de penitencie virtute. 2° de eius origine et ordine. Circa primum queruntur plura Utrum penitencia sit virtus. Et utrum sit virtus specialis. Tercio secundum Rich. et quosdam alios doctores Penitencia quatuor modis potest accipi. Uno modo pro remedio contra peccatum mortale actuale per sacerdotem ministrando et sic penitencia est sacramentum et non virtus. Alio modo pro habitu inclinante hominem ad penitendum sub debitis circumstanciis et sic est virtus. Tercio modo pro penitendi actu et sic non est virtus sed virtutis actus. Quarto modo pro dolore sensibili quo peccato commisso qui si precedat actum penitendi ipsum promovet seu intendit. Si autem sequatur tamquam causatus ex illo intensionem eius et perfectionem ostendit. Et sic non est virtus sed passio. Est igitur penitencia secundo modo accepta virtus, virtus autem specialis secundum Rich. Patet ex hoc quod obiectum penitencie virtutis est actuale peccatum sub racione qua est transgressio divine legis vindicabilis et expiabilis per medium actum ipsius penitentis. Et quia sub racione hac nullius virtutis alterius est obiectum sequitur quod penitencie actus est per essenciam distinctus ab actibus aliarum virtutum. Differencia virtutum innotescit nobis per actus et distinctio actuum per obiecta. Est autem virtus penitencie reducibilis ad iusticiam quod patet per illud quod dicitur de penitencia di. 3. § 1. Penitencia est quedam dolentis vindicta puniens in se quod dolet se commisisse. Vindicare autem maleficium pertinet ad racionem iusticie. Hec Rich. Cuius virtutis actus est penitere. Tercio. Si queritur quid faciendo homo in vocabulo penitere idem est quod penam tenere. Hoc autem non tantum importat passionem pene ut nolentis sed etiam occasionem volentis respectu pene. Unde penitencia actualis est punicio voluntaria vel vo-